

glorificabant deum Israël.] Non cōtinuò uersatur in Iudæa, sed Galilæa, propter multam incredulitatem Iudæorum. Galilæi enim fideiores illis erant: uide igitur fidem illorum, quomodo & in montem ascendant: claudj existentes, & cæci non segnes sunt: sed & ad pedes obijciuntur, utpote illū supra hominem esse existimātes: unde & sanitatem assequuti sunt. Et tu igitur ascende in montem mādatorum, ubi sedet Iesus: & si cæcus fueris, non ualens uidere per teipsum quod bonum: & si claudus, uidens quidem quod bonum, non ualens autem ad hoc peruenire: & si surdus, qui neque alium audias admonentem, neq; alium admonere ualeas: & si mutilus sis, non ualens extēdere manum ad eleemosynam: & si alio quodam morbo teneare, uadas ad pedes Iesu, & uestigia uitæ illius attinge, curamq; habebis.

Iesus autē uocatis ad se discipulis suis, dixit: Miseret me turbæ, propterea quod iam tri-duum perseverant apud me, & non habent quod edant: & dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiant in uia.] Turbæ quidem non audebant panes petere, utpote qui ad recipiendam sanitatem uenerant. Ipse autem misericors existens, curam agit, ne quis dicere possit, quod alia uisita habeant (inquit) quod si etiam habuissent, fuissent consumpta. Tres enim iam dies sunt. Ostendit autem, quod & alonge uenerint, dicendo, ne deficiant in uia. Hæc autem dicit ad discipulos, excitare eos uolens, ut sibi dicant quod possit eos alere, sicut & quinq; millia: sed illi adhuc sapientia carebant.

Et dicunt illi discipuli eius: Vnde nobis in solitudine panes tam multi, ut saturemus turbam tantam? Quamuis non oportebat illos oblitos esse, quod & prius plures pa-uerit in solitudine, sed stupidi erant: & quum postea hos uideris tanta sapientia prædicos, mireris dei gratiam.

Et dicit illis Iesus: Quot panes habetis? Illi autem dixerunt: Septem, & paucos pisciculos. Et iussit turbas discumbere in terra, & sumpsit septē panes ac pisces. Et postquam gratias egisset, fregit, deditq; discipulis suis: discipuli autē turbæ. Comederuntq; omnes, & saturati sunt. Et sustulerunt quod supererat fragmētorum septem sportulas plenas. Atq; qui comederant, erant quatuor mille uiri, præter mulieres & pueros.] Frugalitatem docens, super terram recumbere iubet: & gratias agere ante cibum docens, gratias agit & ipse. Rogas autē, quo pacto illic quidem, quum essent quinq; panes, & quinq; millia aliti essent, duodecim cophini superfuerūt: hic autem quum essent pauciores pascendi, & plures panes, septem sportæ? Dicit igitur posset, quod sportæ maiores essent cophinis, uel ne æqualitas, miraculi eos obliuisci faceret. Nam si nunc quoq; superfuissent duo decim, obliti fuissent ob æqualitatem quod iterum miraculum fecisset in panibus. Tu autem & hoc scias, quod quatuor millia, hoc est qui quatuor uirtutes recte possident: hi septem panibus, hoc est magis spiritualibus & perfectis sermonibus pascuntur.

Septenarius enim numerus, septem spiritualium donorum est symbolum. Discumbūt autē super terram: quia omnibus terrenis superiores sunt, & calcant ea: sicut & quinq; millia super fœnum discubuerunt, hoc est carnem & gloriā sibi subiecerūt. Omnis enim caro fœnum, & omnis gloria hominis sicut flos fœni. Septem autem sportæ hoc loco residuæ, eo quod spiritualia & perfectiora fuerunt, quæ nō potuerunt comedere. Illa igitur supererant, quæ septem sportæ capiunt, hoc est quæ solus sanctus spiritus scit.

Eccī. 14. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunditates dei.

1. Corinth. 2. Et dimissis turbis, conscendit nauim, uenitq; in montes Magdala.] Secedit Iesus, quia nullum aliud signum fecerat, quale hoc in multiplicandis panibus: plures sequerentur, atq; (ut Ioannes dicit) in regem assumpturi illum erant. Vnde & secedit, quo tyrannidis effugiat suspicionem.

Ioan. 6.

C A P V T X V I.



Taggressi pharisæi unā cum Sadducæis tentantes rogabant eum, ut signum è cœlo ostenderet sibi.] Tamen si dogmatis dissideant Sadducæi & pharisæi, nihilominus tamen contra Christum conspirant. Signum autem è cœlo petunt, ut sistere solem uel lunam. Existimabant enim, quod signa quæ

quæ super terram fiebant diabolica uirtute, & in Beelzebul fierent. Ignorabant enim in
sipientes, quod & Moses in Aegypto multa signa super terram fecerat, & ignem è cœlo Iob 1.
Iob descendisse super pecora Iob à diabolo erat: atq; adeo non omnia quæ è cœlo, à deo,
nec quæ in terra omnia, à dæmonibus.

At ille respondens, dixit eis: Quum cœperit esse uespera, dicitis: Serenitas erit. nam
ruber cœlū. Et mane, hodie tempestas: Rubet enim cœlum. Hypocritæ, faciem cœli sci
tis diiudicare, signa uero temporum non potestis?] Reprehendit tentatiuam illorum
quæstionem, hypocritas ipsos nominans, & inquit. Quod sicut signorum apparitum
in cœlo, aliud quidem pluuiarum, aliud autem serenitatis indicium est. Et nemo uidens
pluuiarū signum, serenitatē tunc requirit: & nemo serenitatis signum uidens, pluuias ti
met: sic & de me cogitare oportet, aliud tēpus huius aduētus, & aliud futuri est. Nunc
opus est miraculis in terra: quæ autem in cœlo fient, usq; in illud tempus referuabūtur,
quo sol extinguetur, luna occultabitur, cœlum immutabitur.

Natio praua & adultera signum requirit, & signum nō dabitur ei, nisi signum Ionæ Iona 2.
prophetæ. Et relictis illis, abiit.] Natio mala, utpote tentans: & adultera, ut deficiens
à deo, & adhærens diabolo. Petentibus autem signum è cœlo, non dat nisi signum Io
næ prophetæ. hoc est, quod in uentre magni ceti, hoc est mortis factus triduanus, res
surgit. Hoc autem signum etiā è cœlo esse dixeris. In morte enim eius obtenebratus
est sol, creatura omnis immutata est. Vide autem sermonem. Signum non dabitur ei, ni
si signū Ionæ prophetæ. Ipsis enim data sunt signa, hoc est propter ipsos facta sunt, tam
etsi non crediderint. Prōinde & relictis illis, ut incurabilibus, abiit.

Et quum uenissent discipuli eius in ulteriorem ripam, per obliuionem non accepe
runt panes. At Iesus dixit illis: Videte, & cauete à fermento pharisæorum & sadducæo
rum.] Quemadmodū fermentum amarum est & uetus, ita & sadducæorum doctrī
na mordet animas, amara existēs, & ueteres seniorū traditiones introducēs. Et sicut fer
mentum in temperatura est aquæ & farinæ: sic & doctrīna pharisæorum mixta est, ex ser
mone & ex uita corrupta. Non dixit autem illis manifeste: Cauete à doctrīna pharisæo
rum, ut memores eos faceret signi panum.

At illi reputabant intra se, dicentes: Panes non sumpsimus. Quod ubi cognouit Ie
sus, dixit illis: Quid cogitatis intra uosiplos? parum fidentes, quod panes non sumpseri
tis? Nondum intelligitis, nec memoria tenetis quinq; illos panes, cum homines essent
quinq; millia, & quot cophinos sustuleritis, nec septem illos panes cum essent quater
millia, & quot sportas acceperitis? Qui sit, ut nō intelligatis, me nō de pane dixisse uo
bis illud, ut cauereis à fermento pharisæorum & Sadducæorum.] Existimabāt, quod
hoc diceret illis, ut custodirent se, ne coinquinaretur à cibis Iudaicis, eo quod loqueban
tur inter se, quod panes nō acceperant. Exprobrat igitur illis, quod tam stupidi, & tā par
uæ fidei essent. Imprudentes enim erant & stupidi, quod non cogitabant quā paucis
panibus multos supra aluisset. Paucae autem fidei, quod licet non emerant, diffiderent
quod ipse posset alicunde acquirere. Et ut acius eos perstrinxit (Non enim ubique bo
na est mansuetudo: tantum ubiq; ualet rationabilis increpatio) Tunc, inquit, intellexe
rūt, qd non iussisset cauere à fermento panis, sed à doctrīna pharisæorū & sadducæorū.

Quum uenisset autem Iesus in partes Cæsareæ Philippi, interrogabat discipulos su
os, dicens: Quem me dicunt homines esse, filiū illum hominis? Illi uero dicebant.]
Meminit eius, qui ciuitatem condidit: quia est & alia Cæsarea Stratonis, & non in illa,
sed in hac illos interrogat. Procul enim à Iudæis abducit discipulos, ut nullum timentes
libere ac fidenter dicant. Primum autem percontatur multitudinis opiōnē, ut ad ma
iorem reducantur beneuolentiā, & ne in eandē, in quam pleriq; cadant humilitatē. Nō
interrogat autē, Quem me dicunt pharisæi, sed homines: de simplici multitudine dicens.

Alij quidem Ioannem Baptistam, alij uero Heliam, alij autem Hieremiam, aut unū
ex prophetis.] Qui Ioannem illum nominabant, erant ex ijs qui cum Herode, qui pu
tabat Ioannem post resurrectionem etiā donum acceperat operandi miracula. Qui au
tem Heliam, mouebantur ex eo quod acriter reprehendebat, & expectabant quod ue
g

nirent. Qui uero Hieremiam, hoc dicebant, quod simili sapientia praeclatus esset, quam à nullo didicerat. Etenim Hieremias, quum puer esset, in prophetam assumptus est.

Dicit illis: Vos autem quem me dicitis esse? At Simon Petrus dixit: Tu es Christus ille filius dei uiuentis. Iterum ut feruentior Petrus prosilit, & uere confitetur ipsum esse filium dei. Nō enim dixit: Tu es Christus filius dei uiuentis, absq; articulo: sed cum articulo, ille filius, hoc est ille ipse, qui solus & unicus: nō gratia filius, sed qui ex ipsa patris substantia genitus. Quia & multi Christi erant, sacerdotes et reges omnes, sed Christus cum articulo unus est.

Et respondens Iesus, dixit illi: Beatus es Simon Bar Iona, quia caro & sanguis nō reuelauit tibi, sed pater meus qui est in coelis. Beatum dicit Petrum, quia à diuina gratia scientiam acceperat: approbans autem Petrum, ostendit consequenter aliorum hominum opiniones falsas. Dixit autē illum Bar Iona, hoc est filiū Iona, quasi ita diceret: Si cut tu Iona filius, ita ego patris mei, consubstantialis illi existens, sum. Reuelationem autem scientiam dicit, quia abscondita & ignota ei à patre erant reuelata.

At ego tibi dico, quod tu es Petrus, & super hanc petram aedificabo ecclesiam meā, & portae inferi non praeualebunt contra illam. Remunerat Petrum dominus, mercedem illi dans magnam, quod super eum aedificauit ecclesiam. Quia enim confessus erat eum dei filium Petrus, dixit, quod haec confessio quam confessus est, fundamentum erit futurū credētiū, ita ut omnis homo extructurus fidei domū, hoc iacturus sit fundamentum. Nam licet innumeras condimus uirtutes, non habeamus autem fundamentum rectam confessionem, inutiliter aedificamus. Quum autem dixit, ecclesiam meam, ostēdit se dominū uniuersis: deo enim seruiunt omnia. Portae autē inferi, temporales sunt persecutores, qui ad infernum mittere conantur Christianos. Et haeretici quoq; portae sunt ad infernum ducentes: multis igitur persecutoribus, & multis haeticis praeualuit ecclesia. Est autem & unusquisq; nostrum ecclesia, quae sit domus dei. Si igitur in cōfessione Christi confirmati fuerimus, portae inferni, hoc est peccata non praeualebunt nobis.

De his enim portis exaltatus Dauid, dicebat: Qui exaltat me de portis mortis. Quales portae, o Dauid: duae: caedis scilicet, & adulterij.

Et dabo tibi clauēs regni coelorum, & quicquid solueris in terra, erit solutū in coelo: & quicquid alligaueris super terrā, erit alligatum in coelis. Tanq; deus magna potestate dicit: Dabo tibi. Sicut enim pater dedit tibi reuelationem, sic ego clauēs. Clauēs autem intelligas, quae ligant & soluunt, hoc est delictorum uel indulgentias, uel poenas. Habent enim potestatem remittēdi & ligandi, qui sicut Petrus, episcopus gratiam assequuti sunt. Quamuis autem Petro soli dictum sit, Dabo tibi: omnibus tamen & apostolis cōcessae sunt. Quando: quum dixit: Quorumcunq; remiseritis peccata, remittuntur. Etenim quum dixit, Dabo: futurum tempus signat. hoc est post resurrectionē. Coeli autem dicuntur & uirtutes, quarum clauēs sunt bonae operationes. Nam operando ingredimur, quasi per clauēs quasdam aperientes unamquancq; uirtutum. Si autem nō operor, sed solum scio bonum, habeo quidem clauem scientiae solum, extra autem maneo. Ligatus autem in coelis, hoc est in uirtutibus, qui non ambulat in illis: nam uirtuosus in illis solutus est. Ne habeamus igitur peccata, ut non catenis nostrorum peccatorum ligati simus.

Tūc edixit discipulis, ne cui dicerent, quod ipse esset Iesus Christus. Volebat Christus ante crucem obscurari suam gloriam. Nam si audiissent homines ante passionem, quod deus esset, & deinde uidiissent eum pati, quomodo non fuissent offensis: & propterea occultat se multis, ut post resurrectionem absq; offendiculo à multis sciatur, spiritu sancto omnia miraculorum operationibus adaequante.

Ex eo tempore coepit Iesus indicare discipulis suis, quod oporteret ipsum abire Hierosolymam, & multa pati à senioribus & principibus sacerdotum, & scribis, & occidi, & tertio die resuscitari. Praedicat illis passionem, ne inexpectata illa ueniente, offendantur opinati, quod inuitus & non praesciens passus esset. Postquam enim audierunt per confessionem Petri, quod filius sit dei, tunc reuelauit illis & passionem. Post tristitia autem

autem subdit & lætitiā, nempe quod die tertio resurgeret.

Et quum abduxisset illum Petrus, coepit increpare illum, dicēs: Propitius esto tibi domine, nequaquam erit tibi hoc. Id quod reuelatū erat, Petrus recte cōfessus est: in eo autem quod nō reuelatum, lapsus: ut sciamus quod absq; deo neq; ille loquutus est māgnū quiddam. Nolens igitur Petrus Christum pati, & ignorans resurrectionis mysterium, dixit: Propitius esto tibi domine, nequaquam erit tibi hoc.

Conuersus autem ille, dixit Petro: Abi post me satana, obstaculo es mihi: quia nō sapi ea quæ sunt dei, sed ea quæ sunt hominū. Petrum recte quidem loquētem, beatū prædicat Christus: irrationabiliter autem formidātem & nolentem se pati, perstringit, dicens: Vade post me satana. Satanas autē, aduersarius dicitur. Vade igitur post me, hoc est ne obstitas, sed sequere uoluntatem meam. Vocat autem sic Petrum, quia etiam satanæ displicebat pati Christum. Dicit igitur: Tibi quidem iuxta humanam rationem uidetur indecens mea passio: non intelligis autem, quod deus per hanc salutem operetur, & quod hoc me maxime deceat.

Tunc Iesus dixit discipulis suis: Si quis uult post me uenire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Tunc. Quando: quum Petrum increpasset: uolens enim ostendere errare Petrum prohibētem se pati, dicit: Tu quidem me prohibes, ego autem dico tibi, non solum non damnosum esse me pati, sed neq; tu saluari poteris, nisi & ipse moriaris, & quisquis alius, siue uir, siue mulier, siue pauper, siue diues. Dicit autem, Vult: ut ostendat liberum arbitrium, & non coactam uirtutem. Post Christum autem sequitur non solum is qui illum confitetur filium dei, sed & qui per omnia grauia transit, & illa sustinet. Abneget autem semetipsum dixit: perfectam abnegationem per præpositionē, ab, significans. exempli gratia: Ne habeat communionem quandam cum corpore, sed contemnat seipsum. Sicut consueuimus dicere, quod quis quempiam negarit, hoc est non habuit eum pro amico uel noto: sic igitur omnes docet nullam cum corpore habere communionem, id est amicitiam: ita ut & crucem tollāt, hoc est mortē eligāt, & cum studio inquirāt, etiam mortē ignominiosissimā: qualis crux apud ueteres fuit. Sed & sequatur me, inquit. Multi enim crucifiguntur latrones & fures, at illi nō sunt discipuli mei. Sequatur igitur, hoc est omnem aliam uirtutem præ se ferat. Abneget autem semetipsum, & qui heri quidem intemperatus erat, hodie autem castus & sobrius. Talis erat Paulus, qui abnegauit semetipsum, quum diceret: Viuo autem, nō iam ego, uiuit autem in me Christus. Tollit autem crucem, qui mortificauit & crucifixus se ipsum mundo. liberz arbi:

Qui enim uoluerit animam suam seruare, perdet eam: quisquis autem perdidit animam propter me, inueniet eam. Ad martirium adhortatur nos. Inuenit enim animā ad præsens, hoc est seruat negans, qui & postea perdit. Perdit autem animam, sed propter Christū, qui de eo testificatur: qui & inueniet eam in incorruptione, & uita æterna.

Quid enim prodest homini, si totum mundum lucratus fuerit, animæ uero suæ iacturam fecerit? Aut quid dabit homo, cuius permutatione redimat animam suā? Venturus est enim filius hominis in gloria patris sui cum angelis suis, & tunc reddet unicuique Rhom. 2. que iuxta facta ipsius. Sit igitur, & fingamus quod totum mundū lucreris: sed quæ utilitas, si corpus bene habeat, & anima male afficiatur? que madmodum si materfamilias laceras uestes, & ancillæ in fulgido ornatu incedant. Neq; in futuro seculo poterit quis dare cōmutationē pro anima sua: hic quidem potest dare lachrymas & eleemosynam, ieiunare: illic autem non. Iudex enim tunc nos excipiet, dona respuens: nam iuxta opera sua iustificabit unumquemq;. Est autē & metuendus. Veniet enim in gloria sua, & cum angelis, & non contemptibilis.

Amen dico uobis, sunt quidam hic stantes, qui non gustabunt mortem, donec uiderint filium hominis uenientem in regno suo. Dixerat uenturum filiū hominis in gloria sua: ne igitur incredulus fies, dicit: quia sunt hic quidam, qui iuxta quod capere possunt, uidebūt in transfiguratione gloriam sequundi aduentus. Interim autem ostendit, in qua gloria erūt, qui propter ipsum passuri. Sicut enim tūc caro eius fulgurauit, ita pro

sua portione fulgebunt sancti. Significat autem obscurius hoc loco Petrum & Iacobū, & Ioannem, quos in montem assumpsit, & ostendit illis regnum dei, hoc est futurū statum in quo uenturus esset ipse, & iusti fulsuri. Dicit igitur, quod quidam qui hic sunt non morientur, donec uiderint me transfigurari. Vide autem, quod stantes in bono & firmi, sunt illi qui uident Iesum clarius transformari, & proficiunt semper in fide & mandatis,

C A P V T X V I I.

Lucæ 9.



Post dies sex, assumpsit Iesus Petrum, & Iacobū, & Ioannem fratrem eius. Non est hoc diuersum ab eo quod Lucas dixit, quod post sermones illos facti sunt quasi dies octo, & cætera. Lucas enim & primum & ultimum commemorat, quo ascenderunt in montem. Matthæus autem tantum inter medios dies ponit. Assumpsit autem Petrum, ut eum à quo diligebatur: Ioannem, ut eum quem diligebat: Iacobum uero, quod & ipse æmulator fuerit. Et manifestū est illū ingētis zeli fuisse, tum ex eo quod poculum se bibiturū promissit, tum ex eo quod Herodes, ut placeret Iudæis, gladio illum occidit.

Transfiguratio quare dicitur regnū dei.

Et subducit illos in montem excelsum seorsum, transformatusque est coram illis, & splenduit facies eius sicut sol, uestimenta autem illius facta sunt alba sicut lumen. In montem excelsum subducit illos: ostendens quod nisi quis exaltetur, non dignus sit diuinis contemplationibus. Seorsum autem: solitus enim est Christus clariora miracula in occulto facere, ut ne uideatur multis ut deus, & ut apparebat, homo habeatur. Transformationem autem audiens, ne putes quod tunc corpus abiecerit, sed mansit corpus in suo habitu. Faciē enim ipsius audis, & uestem. Fulgidior apparebat, deitate paruos quosdam radios suos declarante, & hos sicut uidere poterant: propterea & regnum dei superius dixit transfigurationem, eo quod ineffabilis eius potestas ibi refulserit, & quod germanus filius patris ostensus sit, & quod dignitas secundi aduentus in splendore faciei Christi ineffabili claruerit.

Num. 7.

Et ecce apparuerunt illis Moyses & Eliās cum illo loquentes. De quo colloquebantur: de gloria inquit, quam impleturus erat in Hierusalem. Quare autem Moyses & Eliās uisi sunt? ut ostendatur quod & legis & prophetarum sit dominus, uiuentiumque ac mortuorum. Eliās quidem est propheta, & uiuit adhuc: Moyses autem legislator, & mortuus est. Quin & ut appareat, quod non sit legi aduersarius. Non enim Moyses attulisset suo aduersario, neque Eliās, tantus zelotes ipsum tulisset. Præterea ut suspicionem tollat eorum qui ipsum Eliām uel unum ex prophetis dicebāt. Vnde enim agnouissent discipuli, quod Moyses & Eliās fuerint: non enim à liniamētis facierum. Quia imaginēs hominū facere tūc impium uidebatur. Videtur igitur, quod ex sermonibus, quos tunc inter se conferebāt, agnouerint eos. Fortassis enim alter quidē dicebat, nempe Moyses: Tu es cuius ego passionem præfigurauī, occiso agno & perfecto pascha. Alter autem Eliās: Tu es cuius resurrectionem ego præfigurauī in uiduæ filio. & talia quædam. Ostendens igitur illos discipulis, docet eos tales imitari, & māfuetos quidem esse & populares, sicut Moyses: zelotas autem & constantes, sicut Eliās: & si quando tempus uocet, periclitantes pro ueritate, sicut illi.

Exod. 17.

3. Reg. 18.

Respondens autem Petrus, dixit Iesu: Domine, bonum est nos hic esse. Si uis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, & Moysi unum, & Helisæ unum. Petrus ob multam dilectionē, Christum pati nolens, dicit quod bonum sit hoc loco manere, & nō descendere & occidī. Nam si quis huc uenerit, habemus & Moysen & Eliām nos adiuuantē. Moyses quidem Aegyptios deuicit, Eliās autem ignem à cælo deduxit: & tales erūt in inimicos, si qui huc cōtra nos uenturi sunt. Hæc autē præ nimio mœrore loquebatur, sicut Lucas inquit, nesciens quid diceret. Insolita enim uisio obstupefcere eum fecerat, aut nesciebat reuera quid loqueretur, uolens Iesum manere in monte, & non descendere, & pati pro nobis. Veritus tamen ne pertinax uideretur, dixit: Si uis,

Adhuc illo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos, & ecce uox ē nube dicens: Hic est filius meus dilectus. in quo mihi bene cōplacitum est, ipsum audite. Tu quidem